# IVRIS RESPONSVM

P R O

Almo Collegio Salernitano;

C V M

Illustriss. Magno Cancellario Regni, ac Magnificis Medicis Almi Collegij Neapolitani.

ALmum Salernitanum Medicorum Collegium innixum memoriali prescriptioni, cuius initij, hominum memoria in contrarium non existit, ad Doctoratus infulis eius Alumnos insigniendum probatione per Testes habita, quod septennio, studio vacauerint, esse in possessione seu quasi in qua reperitur, manutenendum, attenta quoq; obseruantia tot Aeuorum, Rerum iudicatarũ Authoritate cõprobata (quicquid aliter ab Illust. Magno Cancellario Almi Collegij Neapolitani, siue eius Medicis Collegiatis attentatum fuerit vigore Pragmaticarum Regni Sanctionum ; Eas etenim in nihilo Salernitano Collegio preiudicare posse, tum Iuribus, cùm rationibus, alijsq; perpensis tam in iure, quàm in facto, protenso quasi digito, insinuatur ; & arrepta Iurgij occasione de vi, & efficacia immemorialis prescriptionis, quodq; de ea nullus sit exhibendus titulus, (Illa enim titulum prestat) ac qualiter Cauti Aduocati consueuerint titulum eiusmodi allegare dumtaxat, verum inniti possessioni seu quasi, nè supinè admodum in Clientum iuribus tutandis errasse dignoscatur, nonnulla ad thesim collimantia, indicantur, Ac perpauca quedam, multis consultim posthabitis de antiquitate, scientia, alijsq; precipuis dotibus, quibus Salernitanum Medicorum Collegium corruscat toto penè Terrarum Orbe collaudatum, saltillante sanè calamo commonstratur, nonnullaq; alia non iniucunda ad manutentionem possessionis seu quasi eiusdem Collegij veteribus è seculis, recentisq; temporibus deducta proponuntur, exarantur, ac luce meridiana clariùs ad victoriã aucupandam congeruntur.

Referenda in Supremo Collaterali Consilio.

*Spectab. D. Reg. Musettula Commiss.*

Penès Magnif. à Mandatis Scribam *Ioseph Criuellum.*

# Sub vmbra protectionis Deiparæ.

EXistente Almo Collegio Salernitano (cuius laudes saltillante calamo mox indicabimus *in calce huius Respons.* vers. *Hæc autem omnia*) in possessione seu quasi graduandi, ac doctoratus infulis decorandi eius Alumnos in Medicina, constito, quod per septennium studio vacauerint, quæ sanè probatio per Testes fieri consueuit, quæ iuri conformis nō aduersa existimatur, nam inter cæteras probationum species, ea quę à Testibus promanat, frequentior, & validior est, vti in Iure Ciuili, & Canonico legimus adesse integras rubricas, & leges quamplurimas Testium materiam edocentes, quinimò *textus* est peculiaris *in l. in exercendis, C. de fid. instrum.* qui probationem per Testes æquiparat probationi per fidem instrumentorum, ibique *Glos.* in verb. *In exercendis* excitat dubium, quod plus sit credendum viuæ Testium voci, quàm mortuæ instrumentorum de *tex. in §. Si verò tale aliquid, collat. 6 Authen. eod.* & resoluit; & in indiuidualibus terminis est *Affl. in Commentar. super Constit. Regn. in Const.* incip. *Quia numquam sub tit. de Medicis n 2.* vers. *Tertiò quæro*, his verbis, *Tempus studij probatur per testes condiscipulos.* Nullo requisito matricularum documēto, sicuti in Almo Collegio Neapolitano obseruatum hactenus vidimus, etiam vigore Pragmaticarum Regni sanctionum, *rubr. de Scholar. doctor. par. 10. & 11.* ab eo sanè immemoriali tempore, cuius initij hominum memoria in contrarium non existit, vndè tanti temporis cursus vim habet concessionis à Principe, & priuilegij, & constituti ad *tex. in l. hoc iure, §. ductus aquæ, ff. de aqu. quotid. & æstiu. cap. super quibusdam, §. præterea de verb. sign.* sic sanè priuilegio, & concessione, quæ acquiruntur, & immemoriali acquiri valere, post *Bald., Iason., Paris., Auendan., Grat., Couarr., Matthien., Afflict., Osasc. & Mandella* scripto tradidit *Reg. Valenz. cons. 93. n. 40. lib. 1. Gonzal. ad regu. 8. Cancellar. Glos. 33. n. 4. Sixtin. de regal. lib. 1. cap. 6. n. 15. Mastr. de Magistrat. lib. 1. cap. 19. n. 7.* Habet namq; immemorialis vim tituli, & priuilegij, & concessionis Regiæ, & potioris, & melioris tituli, qui excogitari possit, vti quamplurimis relatis exornat *Castill. Sotomayor. quotid. controu. tom. 5. cap. 93. §. 8. & seqq. & de tert. debit.*

*cap.* 20. *n.* 10. vbi *ſemetipſum* adducit. Eſt namq; *Immemorialis* eius efficacia, & virtutis, vt æquiparetur veritati, *l.* 1. *C. de ſeruit. l. ſi pupillus ad finem, ff. de adminiſtr. tutor. Bal. conſ.* 23. *vol.* 4. Aequiualet itidem pacto, *l.* 2. & quod ibi notat *Gloſ. C. de dot. promiſſ. Bal. d. conſ.* 23. *Socc. ſen. conſ.* 86. *n.* 12. *in princ. & conſ.* 166. *n.* 22. Imò fortiùs quàm pactũ operatur, ſicuti ex multis docuit *Felin. in cap. cum acceſſiſſent n.* 48. *extr. de conſtit.* ita vt omnia quæſibilia priuilegio, quærantur etiam conſuetudine, & præſcriptione immemoriali, ſic eleganter *Abb. & DD. in cap. cum contingat extr. de for. compet.* & ante hos *Bald. in l.* 1. *n.* 10 *C. de emancip. liber. & in conſ.* 419. *col.* 4. verſ. *Tertiò probatur lib.* 3. *Alban. conſ.* 64. *n.* 48. *& ſeq.* Et inducit præſumptionem iuris, & de iure pro titulo, & conceſſione priuilegij, quæ non admittit probationem in contrarium ſecundum *Bartol. in l.* 1. *vltim. col. C. de Summ. Trinit. & fid. Cathol. Butr. in cap. peruenit extr. de cenſ.* & eſt optimus *tex. in cap.* 1. *de præſcr. in* 6. vbi benè aduertit *Gloſ., Oldr. conſ.* 172. *Bal. conſ.* 439. *col.* 4. *lib.* 3. *Alex. conſ.* 6. *in princ. Socc. conſ.* 197. *in* 2. *Dec. conſ.* 85. *col.* 2. *& conſ.* 152. *Crau. conſ.* 10. *n.* 11. *Boſſ. in tit. de regal n.* 21. *Rolan. conſ.* 59. *n.* 17. *in* 4. *Cæph.* videndus *conſ.* 486. *n.* 61. *& ſeq. Menoch. conſ.* 90. *n.* 65. *& duob ſeqq lib.* 1. *Pacian. de probat. lib.* 1. *cap* 7. *n.* 98 *Peregr. de iur. fiſc. lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 61. *& lib.* 6. *tit.* 8. *n.* 14. *&* 15. *pag.* 146. & rectiùs *n.* 26. *& lib. L. eod. tit. n* 22. *pag.* 155. cuius memor extitit *Caſtill. d. tit. de tert. debit. cap.* 3. *n.* 7. verſ. *Tanti inquam*, vbi per extenſum inſeruit verb. *Peregrin. Maſtr. de Magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 18. vbi glomerat *Loffred. conſ.* 40. *n.* 48. *Crau de antiquit. tempor. par.* 4. 4. *part. principal. n.* 73. *& ſeq. Borrell. ad Bellug. rubr.* 9. verb. *Conſuetudo, Roſental de feud. cap.* 5. *concl.* 16. *& alios.*

Hinc Io. *Garſ. de nobilit. Gloſ.* 12. *ex n.* 54. *cũ multis ſeqq.* notãter, & ferè ſub cõpendio dixit, ꝙ *Immemorialis* habet vim legitimi tituli, & tituli dati à lege, & vim iuſtitiæ, & veritatis, & immemoriali ꝓbata præſumitur pręceſſiſſe titulum legitimum, & Iudex animum debet firmare ſuum, quod immemorialis præceſſit ex legitimo titulo, & acquirit ius poſſidenti ſeu quaſi ex fortiori cauſa, quæ excogitari poſsit, & illa adeò quis eſt tutus, ac ſi haberet priuilegium ab eo, qui concedere poſſet, & continet in ſe titulum, cauſam, & priuilegium, vndè habens immemorialem, habet inſtrumentum vndequaq; perfectum, & tantum poteſt immemorialis quantum Rex, vel Imperator cum cauſa, quæ omnia benè comprobat. Vt

ex

ex his pateat satisfactum ijs, quę *Franc. de Petr. in cons. 4. n. 10.* tradidit contra præscriptionem prætensam per Collegium Salernitanum eò quod præscriptio non procedit contra facultatẽ prohibendi, nisi ab eo tempore, quo fuit prohibitum; Nam præter adducta per Nos de virtute, & efficacia immemorialis præscriptionis, occurrimus quod Collegium Salernitanum longè antiquiùs est in erectione Collegio Neapolitano, vti inferiùs demonstrabimus, vers. *Hæc autem omnia*, nec vllum habet priuilegiũ, per quod prohibere potuisset Collegium Salernitanum, sed tantùm se defendit, quod Pragmaticæ de illo non loquuntur cùm anteriorem habent titulum, & potiorem, orientem ex immemoriali, quæ plura habet priuilegia modò recensita per *DD. à Nobis* longa serie adductos, quibus meritò subnectimus *Mastr. de Magistrat. lib. 1. cap. 19. n. 18.*

Et haud obscurè conijcitur, nimis è longè deduci alterum motiuum excitatum per ipsum *d. cons. 4. n. 9.* vers. *Quod si opponeretur*, nam videns cuius efficaciæ, & virtutis existat immemorialis præscriptio, quodq; priuilegij instar operetur, inquit, *Ostendatur priuilegium, & exhibeatur, quo exhibito respondebitur*; immemor, vel tacẽs, quod data probatione immemorialis prescriptionis, nullus requiritur titulus, ad *tex. in l. 1. §. final. & in l. in summa, §. vanus, ff de aqua pluuia arcen. l. ex hoc iure, §. ductus aquæ, ff. de aqu quotid. & æstiu. cum concordan.* adductis per *Oldrad. cons. 172. Mastr. de Magistr. lib. 1. cap 19. n. 13.* Vndè factum est, vt in Regno apud *Nostrates* volitet illud enuntiatum, Cautos Aduocatos quando præscriptioni innitũtur, cautiùs agere dum allegant titulum, & probant possessionem, quia titulus allegatus, præsumitur per decursum temporis, quod totum habuimus ab *Isern. in cap. 1. §. siquis per 30. si de feu. defun. & in cap. 1. in fin. de Capitul. Corrad. Alex. in cons. 136. 1. vol.* vbi alia congerit, *Camer. in cap. Imperialem col. 8. lit. C. Bammacar. in d. cap. siquis per 30. n. 6. & quæst. 2. n. 23. Camill. de Medic. cons. 104. sub n. 25. Pręs. Camill. de Curt. in diuersor. iur. feudal. par. 1. pag. mihi 75. n. 128.* qui in materia ciuili tradit esse *tex. in l. si certis annis, C. de pact. & in l. cũ de in rem verso, ff. de vsur.* alioquin si produceretur instrumentum concessionis, postquam incępit pręscribere, quod esset vitiosum, tunc constito de initio inualido, corruit præscriptio ex dictis per præcitatos DD. quibus addendus est *Præsiden. Lanar. in Addit. ad Præsid. Lanar. pag. 509. n. 28.*

*n.* 28. *Mastr. de Magistrat lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 9. *&* 28. vbi *Presid. de Curt. loc. cit.* allegat *n.* 11. & 12 attestantem per Tribunal Regiæ Cameræ quamplures præscriptiones centenarias cum omnibus requisitis fuisse habitas nullius roboris, subditq; esse perpetuò mẽti tenendum, vt nimirum si cauendum dicimus à *Franc. de Petr.* qui à Collegio exhibitionem priuilegij expetit, vt in hunc scopulum supinè incidere faciat.

Hinc emergit, quàm iniustè Magnus Regni Cancellarius de anno 1624. supplici porrecto libello Excellentiss. Duci Albæ tunc Regni clauum sustinenti, conquæstus fuerit apud illum, Collegium Salernitanum nullis præuij matriculis, ac spreta Pragmatica sanctione emanata de anno 1587. tempore Illustriss. Comitis Mirandæ modò redacta in *volum. Pragmaticar. sub tit. de scholar. doctoran. Prag.* 9. testibus tantùm adhibitis, Doctoratus laurea in Medica professione eius Alumnos ad Doctoratus apicẽ admiserit, quodq; nulla adhibita diligẽtia, Doctores creauerit, adstruens id in maximum eius interesse vergere, ascendens ad duc. 2000. quolibet anno, vndè ipso Gollegio incitato, ac prorsùs inaudito, manarunt prouisiones è Supremo Collaterali Consilio, quibus cautum fuit Regias Pragmaticas in earum vigore circa matriculas scholarium esse obseruandas etiam respectu Collegij Salernitani *fol.* 1. *& at.*

Et quamuis ex eo tantum quod quis incitatus, ac inauditus fuerit in quolibet actu, iuris censura, decreta, nullitatis labe scatere dicuntur, ex Iuribus, vulgatis sanè, sed insignibus in *Clem. Pastoralis de re iud. in Clem. Sæpè*, §. *sententia de verb. sign. & in l. de vnoquoq;* vbi *Glos.* verb. *Quos causa, ff de reiud. l. si etiam*, §. *final. ff. de minor. l. nã adoptiuus, ff de adopt.* vbi communis tam Ciuilistarum, quàm Canonum Professorum Schola, plura adnotauit, & docet *Maran. in Specu l. aureo, par.* 4. *dist.* 16. *n.* 10. *Capic. dec.* 1. *n.* 35. *Affl. dec.* 346. *in fin.* & sic Collegij Salernitani iuribus, & immemoriali possessioni præiudicium inferre non potuerint ex allegandis infra vers. *Præterquamquod.*

Nihilominus: statim ac innotuerũt prouisiones prædictæ *fol.* 2. Collegio Salernitano, rei nouitate sciscitatum, immemorialem possessionem, seu quasi opposuit, cuius vigore tutum redditur, quod Pragmaticæ nusquam locum sibi pararunt in Doctorandis ab ipso, quippequi alia, & diuersa vtitur methodo cum eius Scholaribus, & Alumnis è toto Terrarum Orbe affluentibus ad se erudiẽdos

dos in Medicina ditioni Regiæ minimè subiectis, ductis ex percelebri fama ipsius, qui nullis innitens matriculis, præter continuatum studij septẽnium rigorosum examen adhibet, & multos, quos insufficientes agnoscit, reijcit, ideoq; prouisiones prædictas illicò contrario quasi imperio reuocari institit; vtq, oculata fide eius gestorum in graduandi munere, fidem faceret pluribus documentis edocuit multos ab ipso reprobatos, paucis indè diebus, & mẽsibus, à Collegio Neapolitano fuisse ad Doctoratus apicem promotos, vti videre est *fol.* 5. *& at. fol.* 7. *lit. A. fol.* 8. *lit. B. & fol.* 15. *at. lit. H.* ac de obseruantia, plurium attestationes produxit *fol.* 6. & acta *fol.* 7. necnon Secretarij fidem *fol.* 5. *& at.* licèt Pragmatica enunciata ex Aduerso de mense Martij 1587. fuerit reuocata, alia mediãte Pragmaticali sanctione eiusdem anni de mense Aprelis die 16. *fol.* 44. *at. & fol.* 45. *lit. A.*

Qua de re remisso negotio Illust. ac Spectab. Regen. Enriquez Marchioni Campi, constito illi de solito, fuit interpositum decretum sub die 30. mens. Nouembris 1624. quod *Obseruetur solitum fol.* 28. *at.* aliaq; postmodum manarunt decreta mox referenda, quorum decretorum vigore quæ faciunt de albo nigrum, & de non ente ens, ad *tex. in l. ingenuum. ff. de stat. homin. Bal. in cap. nosti de elect. & in cap. in præsentia de probat Surd. cons.* 61. *n.* 2. *tom.* 1. *Ias. in l. Iulianus notab.* 2. *ff. de condict. indeb. Prob. ad Io. Monach. in cap. cordi n.* 7. *de appellat. in* 6. & ex quadratis rotunda, *l. cum putarem ff. famil. ercis. Reg. Valenz. cons.* 68. *n.* 22. *&* 28. continuauit in sua possesssione, seu quasi, à quo decreto dum obtinuisset Magnus Cãcellarius fieri relationem in eodem Collaterali Consilio *fol.* 25. *at.* instans pro obseruantia prouisionum in eius beneficium expeditarum, amplius pro determinatione nõ institit, gnarus quod iustitiam non fouebat, quando adiens Excellentiss. Proregem tacita iurgij pendentia, obtinuit rescriptum per Scriptorium in eius beneficium respectu matricularum, quod sanè vti surreptitium non facta mentione litis nullam præbeat de iuris censura efficaciam, ad *tex.* ad hoc factum in *cap. super literis, & in cap. postulasti de rescr. Fælin. in cap. cæterum cod. tit.* imò ipso iure vitiari tradũt *DD. in cap. ad audientiã el* 2. *eod. tit. Menoch. cons.* 102. *n.* 1. *& duob. seqq. Mastr. dec.* 81. *n.* 6. *Clem.* 3. *de præben. l. fin. C. de natal. restit.* & est in *iure septempartito l.* 36. *tit.* 18. *par.* 3. vbi *Gregor. Lopez in suis scholijs Glos.* 2. pluraq; attuli *Ego in* 1. *forens. cap.* 27. *n.* 1. *vsq; ad* 18. vbi innu-

meros glomeraui ad materiam enucleandam.

Sed nè Collegium videretur acquiescere eiusmodi subreptitiæ impetrationi, iterum Excellentiss. Proregem adijt, eumq; de prædictis supplici libello certiorem faciens, ac pro exequutione præfatorum decretorum satagens, remisso per ipsum negotio Reu. Cappellano Maiori, qui relationem de omnibus illi faceret, eoq; referente nulliter manasse rescriptum tacita litis pendentia *fol. 29. & 30.* negotiũ fuit commissum præfato Marchioni Regenti Enriquez *fol.* 31. qui præuio memoriali eiusdem Collegii *fol. eod.* die 25. Aprelis 1630. decreuit, quod *Omnes ordines expediti circa exposita in retroscripto memoriali obseruentur, & exequantur, iuxtà illorum seriẽ, & tenorem, prout præsenti decreto obseruari, & exequi mandatur, pro quorum obseruantia obseruetur solitum, fol.* 32. *in princ.* & sic pacificè in possessione permansit ad annum vsq; 1636. in quo dum existeret Regni Moderator Excellentiss. Comes Montisregij, iterum manauit Pragmatica die 21. mensis Iunii in confirmationem alterius editæ de anno 1587. per Comitem Mirãdæ, de qua memores extitimus *hoc eod. Respons.* vers. *Hinc emergit*, quæ modò est situata sub *Rubr. de Scholar. doctor.* 10. & legitur *fol.* 41. *at. &* 42.

Adiit iterum Collegium Excellentiss. Dominum, deq; suis iuribus, nedùm ex immemoriali prouenientibus, verùm etiam tot decretis conuallatis, ipsum certum faciens, supplices effudit præces pro reuocatione ipsius, quatenus illi in aliquo præiudicium inferri potuisset *fol* 43. *at.* qui demandata rei cognitione Domino meo Illustr. Marchioni Matonte Regenti, modò Sac. Consilii emeritissimo Præsidi *fol.* 42. ac reproductis actis coram eo *fol.* 34. *ad* 41. præsertim reuocatione Pragmaticæ editæ per Comitem Mirandæ, de qua *fol.* 44. *at. & seqq.* Idem Illust. Dom. die 23. Maii 1637. interposuit decretum eiusmodi, *Obseruetur solitum pro doctoratis, & doctorandis in Almo Collegio Ciuitatis Salerni, sicuti obseruabatur ante publicationem Regiæ Pragmaticæ editæ sub die* 21. *Iunij* 1636. *iuxtà declarationem contentam in Regia Pragmatica edita sub die* 16. *Aprelis* 1587. *fol.* 46. *in fin. lit. A.* adeòquod euanidum redditur decretum, quod asserit *Franc. de Petr. in d. cons.* 2. *in fin.* fuisse se patrocinante pro Cancellario Regni obtentum, quod prouisiones expeditæ pro exequutione Regiarum Pragmaticarum obseruentur, nam contrarium fuit determinatum post exarata per ipsum, & sic posteriora derogant prioribus, sicuti est *tex.* in expresso in *l.*

*sed*

*sed & posteriori. ff. de legi.* licèt decretum per *d. de Petr.* enunciatum absq; die, & Consule adhuc ignoramus, à quo tempore ad annũ husq; 1652. continuauit Collegium in sua possessione, tunc etenim Regni Gubernium obtinente Excellentiss. Comite Ognate prodiit Pragmatica sub die 7. Iunii 1652. quæ est 11. *sub tit. de Scholar. doctoran.* qua dispositum est, neminem admittendum esse ad gradum Doctoratus, nisi constito per matriculas, quod studio vacauerit per quinquennium, & in Medicina per septennium, ex qua sanè sanctione cùm viderit Collegium iterum turbari in sua possessione probationis faciendæ per testes, admissę nedum ex immemoriali, verùm etiam tot reiteratis Spectabb. DD. Regentiũ scitis, siue (vti aiunt) decretis comprobata, At quoniam, respectu Collegij Salernitani nullam habebat Dom. Prorex notitiam de eius iuribus, ac decretis prędictis, nõ abs re facturum putauit, quæ euenerunt in causa supplici libello insinuare, eiusq; Pragmaticæ (quatenus ad ipsum Collegium pertinet) reuocationem expetere *fol.* 57.

Et dum suis fretus iuribus in spem ducebatur esse supplicatis per Excellentiss. Proregẽ annuẽdum, diploma manauit sub die 15. Martij 1653. directum Illust. Regni Secretario, *Quod debitæ exequtioni demandarentur Pragmaticæ supradictæ, & reuocentur ordines dati; Respectu verò litis pendentis eius prosequutio non impediatur, & iustitiam ministretur partibus auditis, fol.* 55.

Rebus igitur ità compositis, ac facti serie indicata, dum modò de iuribus Almi Collegij Salernitani est iterum cognoscendum, vt semèl annosæ liti finis imponatur; Nostræ partes erunt insinuare esse illud conseruandum in pacifica possessione, seu quasi admittẽdi eius Alumnos, & discipulos ad gradũ Doctoratus constito per Testes de continuatione studii per septẽnium, sicuti hactenus cõsueuit, ac decreta in eius beneficium successiuis tẽporibus prolata, debitam, ac stabilem exequutionem præseferant ex infrascriptis.

Nam vti appositè *in principio huius Respons.* præfati sumus Collegiũ Salernitanum in dicta possessione seu quasi ab immemoriali tẽpore, cuius initii memoria in contrarium non existit, reperitur, ideoq; in ea turbandum non est, *cap. 1. vt lit. penden. cap. 1. de sequestr. possess. cap. volumus 16. quæst. 4. Franc. Curt. de sequestrat. quæst. 1. n. 7. l. penul. ff. de aqu. quotid. & æstiu. l. Titia, ff. sol. matrim. Marc. Anton. de Amat. dec. March. 30. n. 3. Franc. de Claper. caus. fiscal.*

*fiscal.32 quæst.vnic.n.6. Rebuff.in cap.1.notab.7. de cauf.possess. & in cap. cum Ecclesia Sutrina concl.* 3. inquēs non debere quem sua possessione priuari etiam si nullum haberet titulum, vel esset violentus possessor, ad *tex. in l. meminerint, C.vnde vir, l. fur, C.si per vim, vel alio modo, l.si pacto quo pænam, C.de pact.* illic, *More iudiciorum exiges, nam bona aduersarij tui in te transferri, citrà sollemnem ordinem, frustrà deprecaris, cap.licet de præben.in 6.*ibi, *Cum tibi forsan ius possit competere retinendi,* plenè *Ruin.cons.128. per tot.lib.5. Mandell.cons.67.n.11.Ferrett.cons.339.n.7.tom.2.* inquiēs quod possessor prima facie iniustus, non debet sua possessione priuari sine causæ cognitione etiamsi fiat per Imperiale rescriptum, de quo sunt iura in terminis in *cap. conquerente de restit. spoliat.* vbi notat *Abb.& in cap. Cum causa,*vbi idem *Abb.& Felin.de offic.delegat. Philipp.Franc.in cap.licet notab.* 3. & 4. *Alex. cons.209. n.12. lib.2.Affl.dec.98.n.2.Guttier.cons.10.n.15. Burg.de Paz cons.25. n.4.Rot.* apud *Paul.Aemil.dec.121.n.3.par,1.Rom.sing.773.*incip. *Possessio,* qui id conuallat ex *tex.in l.extat ff.de eo quod met.caus. l.si quis in tantam,C.vnde vi, l.fin. C.si per vim,vel alio modo, cap. fin. vt lit.penden.l.2.1 respon.C.vt nemo priuat.l 1.§ qui à me vi, ff. de vi,& vi amata, Fulgos.cons 2. in fin. Dec. cons.400. n.6. Cassador. dec.4.de sequestr.possess.Mandos.regu.16.Cancellar. quæst.22. n.4. & 5. Barbat. inter consil. Alex. cons. 123. col.penul. in princ. lib.4. Ruin.cons.17.n 4.lib.5.Asin.in sua prax.§.7. cap.5.n.2.Valasc.consult.191.n.3.& 4.Reg.Valenz.cons.58 n.16.lib.1.*

Nec assertorum aliundè præcitati DD. rationē metiuntur, nisi eo ex theoremate incōcussè in Tribunalium subselliis recepto, quod magnum est commodum possessionis, *§. commodum, Institut. de interd.l.is qui destinauit,ff.de reiuen.l.1.§.is qui totam, ff si pars hæred. petat.* illic *Ius non ex eo metitur,quod Aduersarius possidet,sed ex proprio iure,& in l.1.C.quor.bonor.& in l.final. C.de reiuen l.creditores, ff. ad leg. Iul. de vi priuat.* ibi, *Optimum est, vt si quas te putas habere petitiones, actionibus experiaris, interim ille in possessione morari debet,tu petitor esse, Bal.in l.defensionis facultas in princ.C de iur fisc. lib.10.Anton.de Butr. in cap. Sæpè 18. n.4. de restit.spoliator. Reg. Valenz.cons.70.n.57.lib.1.*

Præmaximè: cum possessio Collegii in promptu patet olim,& semper,ac vsq; ad tempus molestiarum illatarum per Magnum Cancellarium Regni, etiam ex Contradicentium geminatis assertionibus,

nibus, itaq; continuatio denegare non potest, dum modò allegatur, *Osasc dec. Pedem. 99. n. 51. Seraphin dec. 1154. n. 4. Buratt. dec. 158. n. 3.* vbi eò fortiùs quando non probatur ex Aduerso aliquis actus possessiuus contrarius, idem *Buratt. dec. 298. n. 7. in fin.* ac vsq; ad tempus litis motę, *Gratian. forens. cap. 384. n. 19. Puteus dec. 16. lib. 2. Rot. diuersor. dec. 80. n. 7. par. 2. Serap. dec. 1047. n. 8. Mātic. dec. 95. n. 4. & dec. 172. n. 4. Thomat. dec. 41. n. 18. & dec. 120. n. 5. Rot. recent. dec. 341 n. 1. par. 3. & dec 224. n. 1. in fin. par. 4. Aret. in d. § retinendæ Instit. de interd. Pract. Papiens. in form. libell. pro turbat. possess. in Glos. Hodie sub n. 2. & 7. Gabr. de præsum. concl. 10 Surd. cons. 135. n. 53. lib. 1. cons. 160. n. 81. & seqq. lib. 2. & cons. 481. n. 3. et 4. lib. 4. Giouagn. cons. 11. n. 1. et cons. 14. n. 72. lib. 1. Cyriac. controuers. lib. 1. cap. 192. n. 23. et lib. 2. cap. 362. n. 5. Couarr. practicar. cap. 17. in fin. Rot.* apud *Pacific. de Saluian. dec. 169. n. 3.* & post *Zacch. ad Galles. de oblig. Camer. dec. 66. n. 3.* & post *tract. Iul. Viu. de iur. patronat. dec. 53. n. 4. dec. 86. n. 25. 31. et seqq. Caualc. dec. 226. n. 4. dec. 390. n. 4. dec. 559. n. 3. et dec. 608. n. 3. Posth. de manuten. obseru. 17. n. 10. et seqq.* vbi *n. 16.* vers. *Cum possessio*, tradit & alia ratione comprobari præallegata, nempè quia possesio ciuilis solo animo retinetur tam in corporalibus, quàm in incorporalibus, ad *tex. in l. 3. §. in amittenda, ff. de acquir. poss. l. licet, C. eod. Rot.* penès *Cenc. de censib. dec. 242. n. 7. Coccin. dec. 309. n. 5. dec 354 n. 2. dec. 830. n. 4. et dec. 409. n. 5. Mantic dec. 38. n. 9. et dec. 172. n. 4. Rot. diuers. dec. 99. n. 1. p. 1. et dec. 152. n. 7. p. 4.* vno animaduerso, quod à nemine tactum vidi in beneficium Collegii Salernitani, quod ipsum fuit expresè declaratum habere potestatem graduandi in Medicina per *Pragm editam die 14. Iulij 1581.* situatam in *rubr. de Scholar. doctor. Prag. 4.* illic, *Che non sia persona alcuna di qualsiuoglia conditione, tanto huomo, come donna, quale non hà priuilegio di sua approbatione, et idoneità dal Collegio di Napoli, Salerno, ò altro Collegio publico approbato*, &c. Quid clariùs? quid apertiùs? vt Aduersantes palmam hoc in Iurgio, cuius modò pendet fortuna, Collegio Salernitano etiam inuiti concedere teneantur?

Nec prædictis minùs probè collineant tot decreta in beneficiū Collegii à DD. Regentibus interposita, quod etiam emanatis Pragmaticis continuet in possesione, & obseruetur solitum, à *Nobis* modò seriosè enunciata, ex quibus infertur, quod rectè, & iustè dicatur posidere, dum Authore Prætore posidet ad *tex. in l. iustè*

*ff. de*

*ff.de acquir possess.l.et generaliter in fin.ff.de noxal. actio. cap.in præsentia de renunc. Cyriac. controuers.forens. cap.10. n.21. lib.1. Menoch.cons.449.n.7.et 10.et cons.1173.n.3.Gratian.forens. cap.926 n.1, Rot.diuers. dec.641.n.1.par.1. Rot. recentior dec.690. sub n.1 par.2.Ludouis.dec.336.n.14.* alijq; congesti per *Posth.de manuten. obser.12.n.3.*vers. *Cum immissus.*

Nec conturbare queit nitidam hanc veritatem rescriptum Excellentissimi Comitis de Ognate *fol.55.* quo fuit iniunctum esse de iustitia prouidendum in prosecutione litis, nam non aliud fecit, nisi excitare iurisdictionem apud Collaterale Consilium residentem ex dictis per *D.de Franch.dec.701.*vbi allegat *Iason. in l.causas, vel lites,C.de trans. & in l.iustitia, ff.de iust.& iur. Giurb.dec.41. n.6. Mastr. dec.178.n.13.& dec.228.n.6. Cutell.dec.3 n.16.lib.1 Consiliar.Ann.cons.62.*præsertim ex *n.18.Reg.Galeot.respons.fiscal 30 n.83.Io.Vinc.Ann.alleg.49.n.5.*& *duob.seqq.Petr.Diez Noguer.alleg.iur. 26.n.285. & 287.* vbi pulchrè declarat; Eò magis, quia Princeps ne quidem potest alium in sua possessione turbare, nisi prius turbator de iure suo edocuerit,argum.eorum,quæ notantur in *cap.cum Ecclesia Sutrina de caus.possess & propriet.cap ad decimas de restit. spoliator.in 6. Zas.cons.16.n.16 lib.2. Guid.Pap. cons.92. n.3.* & hoc esse generale quod quis defendi debeat in possessione sua,donec alius doceat de iure suo,tenet *Bal. cons.442.par.1.* post *Innoc.in cap.in præsentia de probatio.* & facit *tex. in l.1.§. hæc verba, ff.ne vis fiat ei, Ias.cons.7.n.62.lib.2.* adducens *text.in cap.præsentium 7.quæst.1.* quibus se subscribit *Reg. Valenz.cons.58.n.17. & seqq.*

Præterquamquod: potritum est apud Consultos axioma, neminem iure suo priuari debere absq; eius facto, *l.id quod nostrum 11. cum concordan ff.de regu.iur. l.fin. ff.de pact. l.si vero Procuratori,* vers. *Alia causa,& l.aliud,ff.de solution.Bal.in l.si constante vltim.notab. C.de donat.inter vir.& vxor.Paul.de Castr. in l.in insulam §. final. ff.sol.matr.Rom. in l.si pecuniam n.22.ff.de condict.caus. dat. Ceph. cons.12.n.33.lib.1.l.cum à socero,* vbi *DD. C.de iur.dot.*

Quæ adeò veritate nituntur, vt Princeps nunquam præsumatur velle iuri tertio quæsito præiudicium inferre, *l.2. §.siquis à Principe, ff.nequid in loc.publ.cap.super eo de offic.delegat.Ias.in l.iurisgentium §.ait* Prætor *n.12.ff.de pact. Nauarr cons.5. n.12. de maior. & obedien.Gonzal.ad regul.Cancellar.8.Glos.15.n.75. §.1. Suarez alleg. 7.n.4.*

*7.n.4 & alleg.11.n.3. Guid.Pap.conſ.189.n.3. Ferretti.conſ.136. n.4.& conſ.283.n.16.Caph.conſ.28 n.5.& conſ.133.n.102. Mandell.conſ.34.n.10. Mexia ad leg.Tolet. de los terminos p.2.fundam. 3.n.6.* Nec alicui voluiſſe iniuſtitiam facere, vti ex *cap.Clientulus, §.diuerſus de alienat.feud.* tradit *Bal in l. acceptam n.67. C.de vſur. Reg.Valenz.conſ.59.n.49.lib.2.*cum aliis adductis per *D. Larr. alleg.fiſcal.3. n.6.* verſ. *Et non poſſe, Conſiliar. Paſchal. de virib.patr. poteſt par.1.cap.1.ex n.95.ad 104. Reg.Rou.in Commẽtar.ad Prag. 1.de ſuſpenſ. & reuocat. gratiar. n.10. Menoch. de præſump. lib. 6. præſ.39.n.4. Maſtr.ſuper Indul.c.22.n.29.& 30.* vbi fusè, *Sforz. quæſt.99.art.6. Noguer.alleg.iur.8.n.40.* verſ. *Secundo,* vbi expendit *tex.in cap.quamuis de reſcr.in 6.*

Quin amplius: cùm nulla fuerit facta mentio Domino Proregi de litis pendentia, præſumitur circumuentus, ſi in aliquo Collegium læderetur, *tex.* eſt ſingularis in *cap.cum olim, de reiud. Suarez alleg. 28.n.11. Abb.in cap.quoties n.9. de teſtib.Caualc. dec. Fruizan. 41. n.53.& ſeq.Ludou.Gomez.regul.de iur.quæſit.non tollen.quæſt.1 in princ.Rebuff.ad ll Gallicas tit.de reſcript. art. 2. Gloſ.3. Azeu. in l. 14.tit.3.lib.1. Recopil.n.41. Gregor. Lopez* Hiſpaniæ decus *in l.27 tit.18.par.3.Gloſ.3.& in l.39.ibidem Gloſ.n.2.* & facit *tex. in cap. ſi propter de reſcr.in 6.* iuncta *l.cum Auus, C.de emancip.liberor. l.ex facto in princ.ff.de vulgar.et pupill.ſubſt. cap.Paſtoralis de priuileg.cap. ex tuorum de vſu pallij, Reg.Valenz.d.conſ.59.n.50.* verſ. *Maximè, Ego in 1.forenſ.cap.27.n.1.& multis ſeqq.*

Remiſit igitur proſequutionem Iudicii Collaterali Conſilio Dom. Prorex, & ſic dum tot tantiſq; viribus munita videatur iuſtitia Collegij, quo pacto poterit ſua poſſesſione ſpoliari, & ex iure tot æuis quæſito turbationem pati?

Herclè nullo; cùm *tex.in cap.final.de priuileg.* Nos edoceat, quod priuilegium in aliqua re ſemel quæſitum, non mutatur, etiamſi qualitas rei varietur, *cap. ex multiplici de decim.* vbi quod mutatio inducta per priuilegium impetratum, non pręiudicat iuri alteri quęſito, *Abb.in cap. Paſtoralis notab.1 & n.3. de decim.* quam exornat *Reg.Valenz.conſ.33.n.35.* vbi in argumẽtum adducit *tex. in l.repeti §.fin.ff.quib.mod.vſusfruct.amitt.l.fin.ff.de vſufr.l.ſed etſi rem, ff.quæ in fraud.creditor. & Regen. Valẽz.* adducto diſcurrit *Caſtill. Sotomayor de tert.debit.cap.15.n.11.* verſ. *Quinto comprobatur,* eiq; ſe ſubſcribit.

At

At ſtrictiùs vt ad pugnam deueniamus, non inſulſum erit aſſerere hoc in iurgio Magnum Cancellarium ſine actione experiri, idcircò à Iudicii limine eſſe prorsùs repellendum, ad *tex. in l. ſi pupilli, §. videamus,* ff. *de negot. geſt. cum concordan.* Siquidem Collegium Salernitanum ſuo iure vtitur ſibi tot æuis ex immemoriali acquiſito in probando continuationem ſtudii ſuorum Alumnorum per teſtes, & Collegium Neapolitanum, cui Magnus Cancellarius præeſt, legem habet ſcriptam, vt probatio fiat per matriculas, nec quid habet Salernitanum Collegium, vndè deſeruire habeat legibus dictantibus probationes per matriculas, cum nihil commune cum illo, nec quid annexum, aut dependens; imò nomine diſtans, & ſic diuerſum, *l.* 1. vbi *Gloſ. & DD.* ff. *de offic. Procur. Cæſar.* ſumitur diuerſitatis probatio, *l. ſi idem, C. de codicill. Bal. in cap.* 1. *n.* 7. *de Capitan. qui Cur. vendid. Cæpol. conſ. ciuil.* 16. *n.* 6. *Reg. Valenz. conſ.* 92. *n.* 31. *lib.* 1. ideoq; ex diuerſis non benè infertur, ad *tex. in l. Papinianus exuli, ff. de minor.* & cùm diuerſa ſint Collegia tam in fundatione, & nomine, quàm in inſtructionibus, ac determinata probationum ſerie, diuerſa eſt habenda ratio, ad *tex. in l. inter ſtipulantẽ, §. ſacram,* ff. *de verb. obl. Alex. conſ.* 46. *n.* 6. *vol.* 2. *Rol. à Vall conſ.* 25. *n.* 32. *vol.* 4. & dum qualitas quæ in vno adeſt, in alio ſi deficit, facit vt arbiter de vno, quàm de alio iudicetur, *l. is qui ope,* ff. *de furt. l.* 2. *§. non tantum,* ff. *de incend. ruin. & naufrag.* quæ ſanè diuerſitatis ratio inter vnum caſum, & alium, ius producit diuerſum, *Reg. Valenz. conſ.* 4. *n.* 46. verſ. *Et diuerſa ratio,* nec conſuetudo vnius loci, ſeu Regionis ad aliam extenditur, *Bart. in l. pactum in fin. C. quæ ſit long. conſuet. Rimin. iun. conſ.* 370. *n.* 7. *lib.* 3. *Honded. conſ.* 29. *n.* 37. *& conſ.* 46. *n.* 24. *lib.* 2. vt profectò mirandum ſit quomodo *Franciſc. de Petr. in* 2. *conſil. n.* 8. adſtruxerit eſſe eandem rationẽ in Collegio Neapolitano, & Collegio Salernitano, & proindè *n* 10. aſſumptum fecit non currere præſcriptionem aduerſus Collegium Neapolitanum, eò quod facultati prohibendi non præſcribitur, niſi ab eo tempore quo fuerit tentatum, & contradictum, ad quod probandum cotas adducit, quod ſanè aſſumptum ex hypotheſi corruit, ſuum enim erat probare, Collegium Neapolitanum aliquod ius habere prohibendi, quod nullibi conſtat, vti mox inſinuabimus *hoc eod. verſ.* & verſ. *Hæc autem omnia.*

Imò poteſt Collegium Salernitanum dicere Magno Cancellario, *Quò ad te liberas ædes habeo,* ad *tex. in l. loci corpus* ff. *ſi ſeruit. vendic.*

& op-

& opponere Collegio Neapolitano, quod dum in illius fundatione tempore Reginæ Ioannæ II. de anno 1430. die 18. Mens. Augusti, prima habuerit elementa à Collegiatis Salerni, cum Saluator Calenda de Salerno primus Prior extiterit, & Aloysius Trentacapilli, ac Paulinus Captarosa eiusdem Ciuitatis in Collegiatis adsciti, vti ex priuilegio quod per extensum posteritati commendauit *Reg. Tap. in* 1. *tom. Iuris Regni pag. mihi* 412. præsertim *pag.* 413. *col.* 1. vers. *Item volumus, & declaramus*, ingrati animi notam non effugit Collegium Neapolitanum, dum modò in quasi parētem sæuit, quæstionem refricando in iuribus tam notoriis, quod vtique humana fugit ratio, abhorrent natura.

Ijsq; oppidò suppetias fert obseruantia tot æuorum, quæ tanti est apud DD. vt altera lex habeatur, & multum prosit ad declarationem cuiuscumq; actus ad *tex. in cap. cum dilectus de consuet. Guttier. cons.* 2. *n.* 10. dicens non esse necessariam præscriptionem in obseruantia declaratiua, sed sufficere ita fuisse aliquoties factum, vndè cum semper fuerit obseruatum testes recipi ad probationē studii septennalis in graduandis Medicis Collegii Salernitani, nō est cur in hæsitationem modò deducatur, ità punctuatim *Caph. cons.* 28. *n.* 32. vbi tenuit satis esse ità bis fuisse factum, & *Ioseph Ludou. dec. Perus.* 29. *n.* 31. sustinet semel fuisse factum, satis esse, *Zas. cons.* 14. *à n.* 86. *lib.* 1. *Surd. de alim. tit.* 4. *quæst.* 16. *n.* 26. *Gratian. dec. March.* 24. *n.* 8. *Burg. de Paz in l.* 1. *Taur. n.* 181. *cum multis seqq. & n.* 224. *Cabed. dec.* 121. *Fontanell. de pact. nuptial. tom* 1. *claus.* 1. *ex n.* 33. *cum seq. Farin. nouissimar. de anno* 1618. *dec.* 136. 1. *par. tom.* 1. *Molin. de hispan. poimog. cap.* 6. *n.* 57. *Peregr. cons.* 1. *n.* 1 *vol.* 5. *Reg. Valenz. cons.* 97. *n.* 304. *lib.* 1. quem adducit *Castill. Sotomayor lib.* 5. *controuers. cap.* 93. §. 7. *pag.* 508. *col.* 1. *& col.* 2. vers. *Et ij*, vbi propositionem statuit obseruantiæ subsequutæ vim, & effectum maximum esse, pro cuiuslibet dispositionis interpretatione, & declaratione innumeris ferè DD. more suo adductis, & iterum illos repetit *de tert debit. lib.* 7. *cap.* 30. *n.* 2. *&* 3.

Quorsùm plura ? vt signet hoc *Responsum*, quiescere debet Aduersantium animus, illisq; pacatè sedere interpretatio, quam possessioni Collegii dederunt Collateralis Consilii Proceres, qui pluribus interpositis decretis superius *hoc eod. Respons.* ac fideliter relatis, in eam iuerunt sententiam, vt seruetur solitum ante Pragmaticarum promulgationem in illius beneficium, quæ pro lege seruanda

uanda esse, & ius facere ex aliis tradit *Reg. Valenz. cons. 40. n. 55. et duob. seqq. & cons. 72. n. 4. Gamm. dec. 33. n. 2. ad fin. & dec. 174. n. 10. Affl. dec. 45. n. 4. & dec. 383. in fin. D. de Franch. dec. 81. n. 2. par. 1. Menoch. cons. 171. n. 21. lib. 7. & de arbitrar. lib. 1. quæst. 1. n. 27.* vers. *De sententia verò,* Vndè *Summus Pontifex in cap. dilecti de elect.* decreuit causam decisam in Suprema Curia, non debere in disputationem deduci, plenè *Reg. Valenz. cons. 72. n. 5.* & nè lõgiùs abeam, consultim multis posthabitis, quos recenset *Castillo Sotomayor d. cap. 30. n. 4.* illud tantùm subticere nequeo, quod dum in hoc ipso iurgio, non simul, sed iterum, atque iterum, res determinata videtur in fauorem Collegii, eiusmodi determinatio sectanda est, ac insequenda, applaudente *Reg. Valenz. cons. 68. ex n. 18. & Thesaur. in præfat. deciss. n. 32. ad fin. Cabed. dec. 212. n. 5.* & punctuatim, ac in expresso *Mastr. dec. 265. n. 19. & 20. lib. 3.* ac alia ratione, nam sicuti lite pendente manuteneri quis debet in possessione adiuncta titulo vero ad *tex. in cap. cum personæ de priuileg. in 6.* ità pariter quando coadiuuatur titulo præsumpto à lege, qualis oritur ex dictis per *Nos in princ.* ex immemoriali præscriptione, & est notabilis declaratio ad *d. cap. cum personæ*, secundum *Capic. dec. 189. n. 10.* vbi determinationẽ Sacri Consilii enarrat in causa Vniuersitatis Titi, cum Vniuersitate Potentiæ, & consimilem affert in causa Vniuersitatis Bactini cum Octauio Cataneo, *Præsid. Lanar. in Addit. ad Repet. Præsid. Lanar. pag. 536. col. 2. in princ. n. 81.*

Hęc autem omnia si deficerent ad insinuandam Collegii iustitiam. Coronidis loco fas sit mihi asserere hoc illud esse Almum Salernitanum Collegium, è quo tanquam ab Equo Troiano tot eminentissimæ scientiæ viri pullularunt omnibus, eisq; continuatis temporibus, qui lumen Aristotelis, & Hypocratis fætibus addiderunt, de quo *Io. Ant. de Nigr* eius antiquitatem veneratus in *Scholijs ad cap. grande de reform. stud. n. 5. & 7.* ità loquitur, *In Ciuitate Salerni semper floruit studium Medicinæ, est antiquissimum, & non est memoria in contrarium, vndè habet vim constituti, Doctorantur in Medicina, & Philosophia ex inueterata Consuetudine, Reg. Tap. in Constit. In locis demanij de offic. Notar. et Iudic.* non absimili vtitur dicterio, ibi, *Collegium Salernitanum est celeberrimum, cuius Prior facultate Regia Philosophiæ, et Medicinæ Doctoratus insignia confert, Affl. in Constit. In terra qualibet,* ita fatur, *Præponendos esse Medicos Salernitanos*

*Me-*

*Medicis Neapolitanis, quia occupauerunt sibi magnam famam in Opere de regimine sanitatis*, vt meritò *Rex Angliæ* ab illis expetierit libellum pro valetudine conseruanda, vt hinc etiam destruatur ex facto motiuum excitatū per *Franc. de Petr. in d. cons. 4. n. 11. vers. Tandem*, qui asserit Reipublicę interesse habere Medicos peritos, Nam (verum vt ingenuè profiteamur) nullum Collegium adeò peritos, probatosq; omni ęuo Medicos habuit, quàm Collegium Salernitanum, vbi nedum Regnicolæ, sed alienigenę confluunt, ex totius Europę partibus ad Medicinam addiscendam, & gradū Doctoratus accipiendum, id quod nedum publicam respicit vtilitatem, sed in maximam Gloriam Serenissimorum nostrorum Regum redundat, & sic non sunt applicabiles ad thesim nostram termini per *d. de Petr.* adducti, quod vbi bonum publicum resistit, nulla est pręscriptio, nam resistit lex Collegio Neapolitano, à quo contenditur interuerti publicam vtilitatem, quę oritur ex pręppositis Magistris ad erudiēdos indigenas, & alienigenas in Medicina, licet omni iure refragāte vti fundauimus super vers. *Hinc emergit.*

Vtq; pluribus consultim posthabitis, vnum indicem *Authorem Angelicum*, qui omnia de Ciuitate Salerni, eiusq; studijs vnico sanè effatu complectitur, *Diuum Thomam opusc. 71 tit. de vit. & virtut. cap. vltim.* aientem, *Quatuor sunt Vrbes cæteris præheminentes, Parisius in scientijs, Salernum in Medicinis, Bononia in legibus, & Aurelianum in Authoribus*, ex quibus obuiam cuipiam fit, quàm indigestè *Franc. de Petr.* vir alioquin eruditus in *d. cons. 4. n. 6.* vers. *Quod eatenus* asseruerit, Collegium Salernitanum, quodammodò esse subordinatum Collegio Neapolitano nullo iure adducto, nec Authoritate expensa DD. & contrarium ex dictis per *Nos* apparet euidenter, calamum cohibeo, scriptioniq; metam impono, nè longior quàm par sit in tanti Collegii Iuribus tutandis videar, meamq; tenuem agnosco Mineruam in eius laudibus referēdis, haud ignarus, quod nec Collegiū ipsum patitur illas à *Me* decurtato scribi calamo, nullaq; dicendi facūdia pręditо voce proferri aiente Poeta.

*Fucati sermonis opem mens conscia laudis*
*Abnuit:*

& quod multos habet incolas Politioris literaturę Magistros, ac Oratores eximios, qui calamum arripere queant, inter quos agnosco legalis scientiæ, peritissimum, ac eruditione pręstantissimum

Con-

Consultum Fabritium Pintum amicum meum, multis mihi collaudandum nominibus, cui in ijs in quibus *Ego*.defeci, supplere datum est, quæq; modò exarauimus, ad victoriam Collegio aucupandam, Sub correctioni, & censuræ Amplissimi Senatus coram quo res agitur corrigenda, delendauè submittimus. L. D. B. V. M. Neap. die 29. Mensis Maij 1660.

Franciscus Maria Pratus.